

ricis debite non residentibus, « eos pro rata temporis absentia fructus suos non facere; » ergo per argumentum a sensu contrario quod fortissimum est apud Glossam receptam in c. *Cum Apostolica* 7. « de his quæ fiunt a prælatis, vers. *Datur intelligi* » si debite resident, præfatos fructus ecclesiasticos faciunt suos, saltem illos, qui honestæ sustentationi necessarii sunt.

18. *Probatur ex concilio Tridentino.* — Confirmatur ex eodem concilio Trident. sess. 24. cap. XII. ubi non tantum negative, sed et positive insinuat, et asserit clericos debite residentes « fructus facere suos: » dum de indebite absentibus sic ait: « Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentie fecit suos. » ubi notanda verba; « Quos ratione præbendæ ac residentie fecit suos; » quibus concilium profecto manifeste indicat clericum debite præsentem, fructuum mere ecclesiasticorum acquirere et habere dominium, cum rem suam facere, et ejus dominium acquirere sint idem. arg. l. II, § 2. ff. *de Rebus credit.* et c. un. cit. *de Præbend.* in 6. ubi fructus suos facere et eorum dominium acquirere pro eodem sumuntur.

19. *Necnon ratione.* — Ratio conclusionis est, quia illa pars bonorum ecclesiasticorum, seu reddituum et fructuum beneficii ad sustentationem honestam necessaria, est vera et propria merces, justumque stipendium clericis pro officio, et obsequio Ecclesiæ præstito prorsus debitum; « cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari; et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputamur. » Et infra, « Dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in qua et per quam divinis obsequiis adscribuntur, » c. *Cum secundum* 16. *de Præbend.* ubi, ut vides, clericorum sustentatio honestum vocatur *stipendium*, et merces obsequii Ecclesiæ præstiti: stipendium autem et merces laboris, et obsequii transit in dominium, laborem et obsequium præstantis, non tantum laici, sed etiam clerici: utpote qui non est deterioris conditionis ac ille, nec minus domini capax est.

20. *Confirmatur.* — Confirmatur: Exinde, quod clericus dicatur bonorum honestæ sustentationi necessariorum habere perfectum dominium, plenamque de eis disponendi fa-

cultatem, nemini fit injuria aut præjudicium: nec pauperibus, nec aliis piis causis, nec intentioni fundatorum. Non pauperibus, et piis causis; quia hæ solummodo in superflua, non item in necessaria sustentationi bona jus habent; alias enim clericus sine illorum injuria, nec sibi dicta bona necessaria applicare posset. Non intentioni fundatorum, quia horum finis, videlicet, ut bona ab ipsis collata in piis causis impendantur; æque perfecte jam censetur impletus, dum clerico pro honesta sustentatione, ac si pauperibus, vel aliis piis causis dentur; cum necessaria clerici sustentatio etiam causis piis æquiparetur, cit. c. *xvi. de Præbend.* indeque æquale cum pauperibus, et aliis piis causis in bonis acceptis jus habeant; atqui exinde, quod pauperes, aliæque piæ causæ dicantur acquirere, et rerum habere dominium bonorum ecclesiasticorum sibi collatorum, plenamque de eis disponendi facultatem, non fit injuria intentioni fundatorum; ergo nec si eorundem bonorum domini dicantur clerici. Ratio utriusque est, quod dicta intentio fundatorum pariat tantum obligationem personalem stringentem dispensatores, vel administratores ad hoc, ut bona ab ipsis collata in piis causis distribuant, quo semel facta jam censetur perfecte impleta, neque ulterius se extendit, nec amplius obligat piis causis, quæ eorum bona acquirunt; ut proinde de iis tanquam perfecti domini pro libitu disponere valeant.

21. *Doctrina practica.* — Ex quibus colligitur clericos non tantum de bonis patrimonialibus et industrialibus, sed etiam parcimonialibus, id est, illis bonis, quæ parcius, ac tenentur, vivendo reservant de mere ecclesiasticis ad honestam sustentationem necessariis remanent, posse pro libitu disponere, et de illis ditare consanguineos, eisque succurrere. Et quidem de dominio bonorum hucusque recensitorum doctores satis communiter conveniunt, ita ut specialis et difficultas et controversia de eis non sit. Celeberrima autem controversia inter eosdem versatur circa dominium bonorum mere ecclesiasticorum superfluum, id est, illorum, quæ ad honestam sustentationem clericis necessaria non sunt: Hinc de illis specialem paragraphum facimus.

§ II.

DE CLERICORUM BONIS ECCLESIASTICIS SUPERFLUIS, SIVE ILLIS, QUÆ AD EORUM HONESTAM SUSTENTATIONEM NECESSARIA NON SUNT.

22. *Utile et necessarium scitu est, an superfluum bonorum dominium habeant clerici necne?* — Queritur, an clerici bonorum ecclesiasticorum superfluum dominium habeant. Notandum prius hanc quæstionem non esse mere speculativam, sed summe practicam, indeque scitu summe utilem ac necessariam. Enimvero si clerici dictorum bonorum verum habent dominium, facile probari potest eos ad restitutionem non teneri, si quid de iis ad causas profanas expendunt; sed tantum ad agendam pœnitentiam ob peccatum, quod impendendo dicta bona ad causas profanas committunt. Si autem dominio præfatorum carent, non tantum peccant, sed etiam ad restitutionem tenentur, si quid de memoratis bonis ad profanas causas applicent.

23. *Allegantur doctores affirmativam tenentes.* — Circa hanc quæstionem duæ immediate sibi oppositæ celebres sunt sententiæ: una nempe, quæ dicit, clericos etiam bonorum superfluum ecclesiasticorum verum habere dominium. Ita docent Covarruvias, in c. *Cum in officiis*, 7. n. 3. *de Testament.*; Molina, disp. 143. n. 2; Barbosa, l. III. *Jur. eccles.* un. cap. XVII; Fagnanus, in c. *Si quis sane*, ult. h. t.; Lessius, l. II. c. IV. dub. 6. n. 44; Layman, l. IV. tract. II. c. III. n. 3; Sanchez, in *præcepta Decalogi*, l. II. c. XX. n. 24; Pirhing, h. t. n. 5; Filiacijs, Valent. Bonac. Reginald. Haunoldus, et recentiores communiter.

24. *Probatio eorum ex jure.* — Probatio hujus opinionis, atque fundamentum principale desumitur ex c. un. *de Præbend.* in 6. et concilio Trident., sess. 22. *de Reform.* cap. III; sess. 23. cap. I. et sess. 24. cap. XII, in quibus locis aperte habetur, quod clerici sæculares beneficiati debite non præsentem dominium fructuum seu bonorum ecclesiasticorum non acquirant, nec eos faciant suos, uti constat ex textibus supra n. 17 et 18. allegatis: ergo a sensu et argumento contrario, si debite sunt præsentem, dominium acquirunt, eosque faciunt suos.

25. *Probatio ex bulla Julii III.* — Probatur etiam ex bulla Julii III. *Cum sicut nobis*, edita 1550, et durante concilio Tridentino publicata (invenitur in tom. I. *Bullarii.*) ubi § 1.

ita loquitur Pontifex: « Pecunias, et res alias, occasione ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum ecclesiasticorum provenientes, postquam ad manus beneficiatorum pervenerunt, et cum aliis ipsorum beneficiatorum fructibus commixti sunt, etc. non ulterius in ecclesiasticis, sed potius in ipsorum beneficiatorum propriis, et ab eis acquisitis bonis judicari, et propterea quodammodo pro sæcularibus et profanis haberi, » etc.

26. *Probatio ex ratione.* — Probatur ulterius ratione, et argumento sequenti; clerici etiam juxta contrariam sententiam sunt veri domini reddituum seu bonorum mere ecclesiasticorum, honestæ sustentationi necessariorum; ergo etiam sunt domini superfluum. Consequentia probatur. Clerici beneficiati, redditus omnes ecclesiasticos tam necessarios, quam superfluos promiscue et commixtim accipiunt: ergo dici non potest, quod aliquorum acquirant dominium, et aliorum non acquirant; sed dici necessario debet, quod si unus, etiam alterius generis bonorum promiscue acceptorum acquirant et habeant dominium: præsertim quia etiam pecuniæ propriis ita mixtæ transeunt in dominium illius, cujus pecuniis miscentur; saltem si discerni amplius nequeant.

27. *Probatio a simili.* — Confirmatur hoc argumentum a pari: Quando quis alieni centum v. g. florenos ad instituendam peregrinationem dat hoc fine et pacto, ut, quod necessariis expensis superest, det pauperibus, acquirat acceptor verum dominium tam superfluum quam necessarium, quamvis cum obligatione superflua in pauperes erogandi: ergo idem dicendum de clericis accipientibus bona ecclesiastica tam necessaria, quam superflua promiscue hoc pacto, et conditione, ut necessaria sustentationi superflua tribuant pauperibus, et aliis piis causis. Ita argumentatur Layman, lib. IV. tract. II. cap. III. n. 4. et ex ipso Pirhing, h. t. n. 5. ac plures alij.

28. *Confirmatio ratione juris.* — Probat adhuc n. 23. allegatam opinionem doctorum ibi citatorum, quando habetur certum, ac manifestum fundamentum, non debet, nec expedit clericis gravissimam obligationem, et periculosissimum conscientie onus imponi; sed qui docent clericos non esse dominos superfluum, hoc ipso imponunt eis sine manifesto fundamento gravissimam obligationem, et periculosissimum conscientie

onus restituendi nempe iterum ad pias causas, quæ de superfluis in causas profanas expenderunt; ergo majorem ut rectam supponunt tum quia « in obscuris minimum sequendum: » juxta reg. 30. jur. 6. Obscurum autem, et non certum, utpote textibus juris pro, et contra stantibus, ac inter doctores summe controversum est, an clerici habeant dominium superfluum; consequenter minimum, id est, quod minorem parit obligationem, sequendum est: tum quia « in pari causa potior est conditio possidentis, » reg. 65. jur. 6. Clerici autem in hac pari controversiæ causa sunt possessores bonorum superfluum, ergo. Minor quoque certa videtur; quod enim præfata ex doctrina contraria, sequens obligatio esset gravissima, patet: quod foret simul periculosissima, nemo negabit: profecto enim stante obligatione, quod clerici superflua ad profanas causas expensa, iterum ad pias restituere debeant, plurimi erunt in summo periculo æternæ suæ salutis; cum multos videamus superflua in causas profanas expendere, paucos vero restitutionem facere, ubi autem « non restituitur ablatum, non dimittitur peccatum; » consequenter maximo cum periculo æternæ salutis vivitur: ergo.

29. *Proponitur sententia negativa, et doctores eam tenentes.* — Quod vero eadem obligatio, ac conscientie onus absque certo, ac manifesto fundamento imponatur, inde patet: quia jura et canones, quos pro se copiose allegant contrariæ opinionis doctores, loquuntur vel exaggerative, vel de statu et tempore Ecclesiæ antiquo, in quo clerici in communi vivebant: non item de tempore moderno, quo bonorum ecclesiasticorum per Simplicium, et Gelasium summos Pontifices circa annum Domini 470, divisio in quatuor partes facta, et cuique parti suæ portionis dominium assignatum est: vel tandem, si qui textus etiam de moderno tempore allegantur, illi vel obscuri sunt, vel plus non probant, quam quod clerici teneantur superflua erogare in pauperes; non item, quod eorum dominium non habeant, indeque ad causas profanas expensa, ex justitia iterum restituere debeant. Hæc sunt potissima hujus opinionis fundamenta: Reliqua loco objectionum ponentur.

30. *Probat ex jure.* — Altera sententia immediate contrarium dicit videlicet, quod clerici beneficiati sæculares quicumque, prorsus nullum dominium bonorum eccle-

siasticorum superfluum, habeant, sed eorum meri dispensatores, administratores, et procuratores sint, consequenter ex justitia teneantur eadem juxta intentionem fundatorum in causas pias erogare, et aliter in causas profanas nempe expensa iterum restituere obligentur. Ita docent celeberrimi, imo (fatentibus ipsis adversariis) pene omnes canonistæ ac theologi antiqui; signanter Navarrus, de *Reddit. eccles.* q. 1. mon. 21. et q. 2. n. 7; Abbas, in c. *Cum secundum*. 16. n. 4. de *Præbend.* et alibi Archidiaconus, in c. *Statutum. § Assessorem. de Rescript.* in 6; Innocentius, in c. *Indecorum de Ætat. et qualit.*; Pelagius, de *Planctu Eccles.* cap. xxviii. Angelus, vers. *Clericus*. 3. n. 1. et 3; b. Antonin., part. III. tit. XV. cap. 1. § 19; Bellet, *Disquisit. cleric. de Bonis cleric.* § 2. n. 5; Sannig, de *Justit. et jur. disp.* 5. q. 4. Van Espen, eminentissimus Sfondrati, Joan. Andreas, Anchoranus, Calerindus, Richardus, Hostiensis, Sylvester, Armilla, Alexander Alensis, Jason, Barbat, Petrus Sotus, Decius, Rosella, et Marion dicentes, « ante ipsius ætatem, nullum tenuisse contrarium, » et alii plurimi, quorum omnium vel nomina tantum citare nimis longum foret.

31. *Probat ex sanctis Patribus.* — Probat hæc sententia ex jure, et sanctis Patribus, ratione, ac solutione fundamentorum contrariæ sententiæ. Ex jure quidem, quia ibidem episcopi, ac cæteri clerici nunquam domini, sed tantum dispensatores, administratores, aut procuratores bonorum mere ecclesiasticorum vocantur, ipsaque bona ecclesiastica, « res Dei, patrimonium Christi, et pauperum, vota fidelium, pretia peccatorum » dicuntur. Audiamus canones: can. *Si privatam*. 28. can. 12. q. 1. habetur: « Si privatam possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus; can. *Episcopus*. 23. cit. cau. 12. q. 1. dicitur: « Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, et timore Dei. Participet autem et ipse, quibus indiget, tam in suis, quam in fratrum necessariis usibus, ita, ut in nullo, qualibet occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic dicentem: Habentes victum et tegumentum. his contenti sumus, » can. *Quia*. 59. cau. 16. q. 1. « Quia juxta sanctorum

Patrum traditionem novimus, res ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum. » Dist. 42. in rubrica: « Aliena rapere convincitur (clericus) qui ultra necessaria sibi retinere probatur; » can. 12. q. 2. Stephanus Papa eadem bona pecunias Christi vocat illis verbis: « Qui Christi pecunias, et Ecclesiæ aufert, fraudat, et rapit. » can. *Quia*. 8. can. 12. q. 1. de memoratis bonis statuitur: « Omne, quod superest, in causis piis, ac religiosis erogandum. » Concordant, can. *Res Ecclesiæ*. 26. cau. 12. q. 1. can. *Quod autem*. 3. cau. 23. q. 7. can. *Apostolorum*. 37. et 75. Similiter loquuntur concilia, ut Aquisgranense, cap. cxvi. Agathense, cap. vi. Carthaginense, cap. xlv. et alia, quorum omnium textus afferre, esset, brevitatis leges transgredi; præsertim, cum ex dictis satis jam constet clericos de jure solos dispensatores, administratores, et procuratores, non item dominos esse, bonaque ecclesiastica superflua, « res Dei, et Ecclesiæ, patrimonium Christi, et pauperum, » consequenter non ipsorum esse.

32. *Concertatio doctorum utriusque sententiæ.* — Probat eadem sententia etiam ex sanctis Patribus, qui pariformiter loquuntur. Sanctus Augustinus, serm. 219. de *Tempore*: « Quidquid (ait) excepto victu, et vestitu rationabili superfuert, non luxuria reservetur, sed in thesauro cælesti per eleemynam reponatur: quod si non facimus, res alienas invasimus. » Ecce juxta sanctum Augustinum bona ecclesiastica clericorum superflua aliena sunt: ergo non propria clericorum. Similiter loquitur sanctus Hieronymus, can. fin. cau. 16. q. 1. « Quoniam quidquid (superflui) habent clerici, pauperum est. » Gaudentius, de sermone *Villico nobis*. inquit, « credita est dispensatio (non dominium) facultatem Domini nostri, vel ad utendum eis sufficienter, vel ad distribuendum conservis, et ideo non licet nobis eas in expensas usurpare superfluas; cum sit erogationis ratio Domino venienti reddenda. » Pariter loquuntur alii sancti Patres.

33. *Probat ulterius sententia negans ex jure, et concilio Tridentino.* — Ad hos, et similes sanctorum conciliorum, canonum, et Patrum textus vix non ananimitè respondent primæ sententiæ auctores, videlicet, eos loqui, intelligendos esse, ac verificari de bonis superfluis ecclesiasticis illis, quæ episcopi ac clerici habuere ante divisionem bonorum ecclesiasticorum, facta circa an-

num 470, a Simplicio et Gelasio summis Pontificibus: non item de bonis acquisitis post illam divisionem, mediante qua dicti Pontifices bona ecclesiastica in quatuor partes diviserunt, unam Ecclesiæ, alteram episcopis, tertiam clericis, quartam pauperibus tribuentes, can. *Confesso*. 26. can. *Quatuor*. 27. et can. 28. cau. 12. q. 2; per hanc enim divisionem allegatas quatuor competentes, bonorum sibi assignatorum dominium acquisivisse aiunt, sed non probant doctores primæ sententiæ.

34. *Et sanctis patribus, membranam inutiliter occupat dictio in lege vacans.* — Contra autem hanc responsionem reponunt doctores secundæ sententiæ, et dicunt probantque extare similes sanctorum conciliorum, canonum, et Patrum textus, qui etiam post dictam bonorum divisionem idem de bonis ecclesiasticis dicunt, quod antiqui ante divisionem de iisdem dixerunt, consequenter communis hæc responsio doctorum prorsus non subsisteret. Probat aut. ex c. *Inquirendum*. 4. h. t. ibi: « Inquirendum est, si quis presbyterorum de redditibus Ecclesiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparavit: quia sicut non suo, ita nec alieno nomine presbyter fraudem facere de facultatibus ecclesiasticis debet: quoniam hoc sacrilegium est, et par crimini Judæ furis: » et c. 2. de *Donat.* ubi dicitur: « quod episcopus, et quilibet prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator, et non dominus. » Ad hanc, et nonnullos alios juris textus post divisionem primum positos dicunt eos loqui de bonis, quæ ad Ecclesiam ipsam immediate spectant, et a bonis clericorum separata existunt, quorum dominium clericos non habere, sed mere œconomos et administratores esse, ipsimet fatentur: non item de bonis ecclesiasticis, quæ separata ab Ecclesia immediate clericis obveniunt.

35. *Pontifices dividendo bona ecclesiastica non potuerunt mutare naturam eorum.* — Sed contra respondent secundæ sententiæ doctores, dari textus juris novi, qui de bonis ad clericos immediate spectantibus loquentes, expresse indicant clericos eorum nullum habere dominium. Sic, z. fin. h. t. de ipsis bonis clericorum loquens ait: « Si quis sane clericorum agella, vel vineolas in terra Ecclesiæ sibi fecisse probabitur, sustentandæ vitæ causa usque ad diem obitus sibi possideat, nec testamentario, aut successorio jure cuiquam hæredum, pro hæredumve relin-